... Angeli-
co adolescens S. Stanislaus
Kostka. Lublini. 1755.

ANGELICUS ADOLESCENS
SANCTUS
STANISLAUS KOSTKA
Societatis JESU
Festa sui luce
primùm
à conflagratione Templi Lublinensis
Ad publicum ejusdem Ecclesiæ Sacellum,
simul
AD COLLEGIUM NOBILIUM
Sub Cura PP. Societatis JESU
primariò excitatum
TRANSLATUS.
Pro omnigenæ Virtutis norma
NOBILISSIMÆ JUVENTUTI
PROPOSITUS.

AUCTORE
P. JOSEPHO BARANOWSKI
Soc: JESU
Eloquentiæ Professore

Superiorum permissu.
LUBLINI

Typis Collegii Societatis JESU
Anno M,D.CC.L.V.

PERILLUSTRIBUS
NOBILISSIMIS
AMPLISSIMIS
ORNATISSIMIS
ADOLESCENTIBUS
Virtutum Christianarum
ac etiam
Artium Liberalium
EXERCITATIONI
Lublini sub Cura PP. Societatis JESU
DEDITISSIMIS.

Eloquentiæ Auditoribus

Dominico Krasicki Comiti
Cajetano Raczyński Vice-Capitaneidæ Castren: Crasnostavien:
Francisco Deboli Pocillatoridæ Horodlien: Judicidæ Castren: Grabovecen:

Ladislao Trembiński Pocillatoridæ Trembovlien:
Stanislao Stoinski Judicidæ Terr: Lubl.

Ex POESI

Cajetano Płochocki Vice-Palatinidæ Łucovien:

SUPREMÆ CLASSIS

Canuto Dłuski Venatoridæ Lublinen:
Joan: Nepomuceno Kamiński Colonellidæ S. R. M.

MEDIÆ CLASSIS

Joanni Krasicki Comiti
Josepho Wybranowski Thesauraridæ Lublinen:
Xaverio Stoiński Judicidæ Terrestri Lublinen:

INFIMÆ CLASSIS GRAMMATICIS

Antonio Lechnicki Subdapifer: Zakro.
Josepho Dłuski Venatoridæ Lubl:
Josepho Grabkowski Dapifer: Gostin:
Josepho Lechnicki Subdapifer: Zakroc.
Raymundo Wybranowski Thesauraridæ Lublinen.

PER-

PERILLUSTRES NOBILISSIMI DOMINI.

NOvam ſanè illamq́; geminam uno eodemq́; anno S. STANISLAI KOSTKA Tranſlationem in hac Tribunalitia Lublinenſi urbe, quæ, cùm ob Religioſorum frequentiam Civiumq́; elegantiam multis aliis longè laudabilior, tum præcipuè ob Vice-Regia Majeſtate decoratos, ſelectosq́; Viros JUDICES DEPUTATOS maxima anni parte hoc loci ſine intermiſſione commorantes, ſtudiisq́, publicis occupatos, cæteris omnibus præponenda, contigit celebrari.

Pridem jam Honori Cultuiq́; ſuo exſtructum Sacellum, in hoc verò Aram,

ab antiquo ſupplicibûs, quà argenteîs, quà aureîs tabellis ſingulariſſimè adornatam, ex privata Religioſi Domicilii ædicula deportatus, à conflagratione Templi, hac prima ſui Tranſlatione magnificentiſſimè, quia auream chlamydem, Togam dixero, utpote ob aureæ pacis donum à Munificentiſſimo Poloniarum Rege CASIMIRO, ex Scytharum centum quinquaginta, Coſacorum ducentis millibus ad Bereſteczkum reportatâ nobiliſſimâ victoriâ illuſtrato, ſibi collatam, magnificentiſſimè inquam, complevit STANISLAUS.

Tum proximè ſuſcitati recens Nobilium Collegii aperta atria conſpicatus, quò condigniùs Hoſpes tantus excipi poſſit, altera dein, eaq́;, potiore Tranſlatione animis etiam confluentium Adoleſcentum illabi deſiderat. Una ſcilicet Vobiſcum Adoleſcentes Nobiliſſimi (ut olim Viennæ Auſtriæ, Dilingæq́;) velut alter Conviva, Commenſalis & Convictor hoc in Collegio commanere exoptat. Neminem tamen credo hic perſecu-

ſecutorem ſui habiturus eſt *Paulum*; neq; enim probandæ nunc Virtutis causâ, ſed Veſtri defendendi ſtudio incenſus, nuper præduce cygno ad Romanos colles, modò Polonæ alitis more huc deproperat.

Quantumvis autem in præfata oratione Adoleſcentis nonniſi STANISLAI KOSTKA (talem enim terris oſtenderunt tantùm ſidera, non donârunt) vitæ imaginem ob oculos ponimus, Ejusdem nihilominus cùm ætatem ſeculis, virtutem orbi, animum Cælo minimè imparem eſſe, pariter ex præcipuis facultatis Rhetoricæ Studioſis facilè primus, pariter Honori Cultuiq; Divi apprimè Devotus Orator publico ex ſuggeſtu propoſuit; nullibi rectiùs magisq; opportuniùs hanc floreſcentis ævi Ideam exiſtimavi collocandam, quàm, ſi in eorum Nobiliſſimo Collegio, quibus, tum præclarè gerendis rebus maximè idonea atq; innata indoles eximium à teneris creſcendi modum præſcripſit, tum eundem nunquam interruptus Virtutis amor eg-

gre-

gregiè conſervat, amplificat, promovetq́; locaretur.

Quid enimverò tale eſt, quod in Prædeceſſorum Veſtrorum laudibus Adoleſcentes Lectiſſimi, animadverti poſſit maximè præcipuum, ut idem ipſum (ſi omnigenæ virtutis exemplar ſuccendit animos) Angelicus Adoleſcens STANISLAUS nequeat ubertim ſuppeditare ſingulis?

Cùm autem vel ipſa Natalium ornamenta haud quidquam virtuti officere, quin eandem illuſtrare, ac commendare ſoleant: num eidem illam, quæ inpoſteris plerumq́; nonniſi ſorte naſcendi contingit, meritorum excellentiam ſplendoremq́; generis defuiſſe quispiam temerarius affirmare præſumet? cùm ſit oppidò manifeſtum, non modò è Senatorum purpuris evolutam Ejus infantiam, non modò Principum Oſtrogienſium Mitris decoratum permiſtumq́; Sangvinem, non modò in Palatino Sandomirienſi Joanne KOSTKA plurimorum ſuffragiô, Regum ſoliis admotum Nomen; verùm,

ante-

antequam hanc communem omnibus lucem aſpiceret, adhuc Materno in utero deliteſcens, cuinam inſuper Familiæ, quò virtutum ac miraculorum frequentiâ illuſtriorem reddidiſſet, adlegendus erat, declaratum fuiſſe radiîs tanti Nominis, quo nihil in Cælo terrisq; illuſtrius. In lucem nempe prodituro, JESU Nomen præluxit, ut palam fieret, ea felicitate natum orbi STANISLAUM, cujus quædam Virtutis immenſitas Paternis ædibus impatiens retineri, ſolis inſtar, ubiq; gentium, terrarumq; diffuſa, communicatis gratiis alluceret omnibus, deeſſet nemini.

Singulari compendio teneros intra STANISLAI artus quodammòdo collectam fuiſſe annorum ſeriem quis verò neſciat? cùm etenim ſub ſigna CHRISTI deproperantem, irarum minarumq; plenus aſſequi contenderet Paulus STANISLAUM, intra viarum ſpatia in ſenem decrepitum offendens, tam inſolitæ mutationis inſcius, vix pauliſper immoratus, aliò Fratrem requiſitum, ſe proripuit. Quo-

Quorſum igitur adeo admirabilem metamorphoſim STANISLAO Superi indulſere? nonne ex eo, ut cum ad prævertendas vias Domini humanæ nihil licere poſſe induſtriæ palam foret? tum præterea quantus maturæ, quin potiùs conſummatæ virtuti honos? quanta vel ipsa morum agendiq́; gravitate, Pyliam ætatem exæquanti (parcite verbo) Puero deberetur reverentia, admiranda canities edoceret, candorq́: illimis, qui pridem jam animo inſederat, etiam in extimis ſenectæ nivibus facillimè legeretur? ita verò ad poſteros quoq́; dimanaret Virtus illa, quam, ſicut exemplô rariſſimô in adoleſcentibus inveniri, æſtimari, amariq́; ita in provectis ſenibusq́; non infrequenter diſcimus deſiderari.

Has ego potiſſimùm ob cauſas, Juvenes Nobiliſſimi, intra ſolennem ad Aras ſuas Tranſlationis diem, etiam in veſtrum Nobiliſſimum Collegium introducendum exiſtimavi STANISLAUM, ut, cùm hujus Angelici Adoleſcentis Imaginem, non oculîs tantùm, ſed ani-

mîs

mîs quoq; volvetis perpetuò, nullum præterea sit tempus, quo non ejus virtutis castiq; pudoris recordemini. Facilè cæteras omnes complectitur, cùm hanc sibi præcipuam vendicat laudem, quod intaminatîs KOSTKA fulgeat honoribûs.

Quibus enim laudibus vel sola Castimoniæ virtus se attollat, ex his non tenuiter inferre licet, quæ olim Julio Scaligero Cæsari Audectum Filium immaturô fatô ereptum deploranti, mistis dolori lacrymis Paternus amor expresserat. *Fuit hoc in more positum, Cives, ut interdum viri fortes laudarentur, quo eorum Justitiam, temperantiam, fortitudinem, pro exemplo imitandam aliis proponeremus. Verùm nulla penè unquam tam solida in quopiam Virtus fuit, quin aliqua vitiorum affinitate fuerit adumbrata. Neq; enim fuit hoc ullo, quod equidem sciam, tempore comparatum, ut uni cuipiam universa sint attributa, quæ, sua cuiq: fatorum certa lege, certisq; portionibus ascribenda essent. Dispertitæ* vir-

virtutes aliæ aliis, occultis vitiis nonnihil vacui sæpenumero reliquêre. Quantomagis ætas ista aurea laudanda est, in qua puritatis atq; simplicitatis modus, species, flos ipse enitescit? Quid DEO similius, quàm INNOCENTIA? Hæc, hoc cognomen vel sola vindicat.

Hanc Vos igitur laudis KOSTKANÆ summam esse proculdubio arbitremini, si Eundem in virtute potissimùm Castimoniæ Adolescentem innocuum, Adolescentes Ornatissimi, immutabiliter constitueritis imitari. Et dum generis nobilitate illustrem, virtutibus spectatissimum, in Patriam meritis præclarum, collatis in orbem beneficiis ubiq; celeberrimum inauditis, Majorum inter vestrorum (ut placet) Imagines Cerasq; numerate: ad perenne tamen gloriæ vestræ monumentum exemplis prosequiminor, castis moribus, animisq; tenellis quàm firmissimè imprimitote. Vel ita, pariter vos aliquando in Collegio Nobilium sub cura Patrum Societatis JESU excultos fuisse, pariter meâ operâ,

perâ, quam, cùm alibi cæteris, tum hìc Vobis, Superiorum meorum jussu, in arte Oratoria instruendis navare pergo, me quoq; minimè delusum, maximopere probabitis. Aspirent Boni Superi hisce Vestris, votisq; meis, qui sum

NOMINIS Honorisq; Vestri

Observantissimus

Cliens & Servus

JOSEPHUS BARANOWSKI
Soc: JESU.

DIA-

DIALOGISMUS
Inter S. STANISLAUM
KOSTKA
&
Collegium Nobilium Lublinense.

Sanctus STANISLAUS
KOSTKA
Gente Polonus.

Etsi, Vos bene cognôstis, quæ Patria Nomen
Protulit, evolvens sêcla genusq; meum.
Per Proavos, Abavos, nec non Atavosq; recurrens,
Semina KOSTKARUM Terra Lechæa tulit.
Sim tamen ut gratus Superis, Gentiq; Polonæ
Accumulem laudes, hæc meminisse juvat.

COL-

COLLEGIUM NOBILIUM

Et Gentis mores, KOSTKARUM & novimus ortus (ſuæ.
Præclaros, Patriæ grande decusq;
Inde Senatorum ſangvis, tum proximus ipſis
Regibus, de magno ſangvine, fluxit honor.
Nobilium germen, Majorum gloria KOSTKA
Et nimiùm patrio provide DIVE ſolo.
Quo pede cæpiſti, poſthac, Te poſcimus omnes,
Perge favere Tuis hac ratione Lechis.

Sanctus STANISLAUS KOSTKA in Collegio Nobilium Sub cura PP. Societatis JESU.

Inſtituit me cura Patrum, docuêre Magiſtri,

Quos

Quos JESU Socios Orbis uterq;
vocat.
Non mensæ tantùm socium, sed sanctior ordo
Vitæ me fecit cum probitate simul.
Dicere nunc liceat, quando jactantia nullum
Criminis inde locum laudis habere potest.

COLLEGIUM NOBILIUM

Æqualis nos cura Patrum, vigilesq; Magistri
Instituunt, Virtus quo sit habenda loco.
Quàm Patriæ sit cara salus, quibus artibus orbem
Nobilis exornet condecoretq; Domum.
Sed Tua lux adsit, poterit fax mentis honestæ,
Non aliter, flammis clarior esse Tuis.

San-

Sanctus STANISLAUS K O S T K A Sodalis MARIANUS.

Castra Sodalitii, subeunt quæ ex ordine longo
Virtutis pugiles, sunt quibus arma, preces.
Et quibus ipsa globos, pretiosa Rosaria præstant.
Et pro Concepta Virgine pugnat (Amor.
Hæc ego Castra pugil, tali ratione subivi
Filius Huîc essem, Mater, ut Illa (mihi.

COLLEGIUM NOBILIUM

Idem mos nobis æqualia Castra subire,
Martis hic an ardor, num quoq; Matris Amor?
Virginis, innocui vultus castiq; nitores,
Et similis Matri nullus in ore co- (lor.

Ergo quid est miri, simus cùm dispare vita, (Tuos?
Quis Virgo natos nos putet esse
Fac age Dive Tuos nobis da KOSTULE vultus, (Tuum.
Cor potiùs nobis KOSTULE cede

Sanctus STANISLAU S KOSTKA Minoris Poloniæ Singularis PATRONUS.

Gratia tacta mihi Cæli superúmque, favore, (manent.
Auxiliô teneam, quotquot in orbe
Est in præcipuo, Pars attamen ista, valore, (decus.
Ingens, Pars Regni vendicat inde
Urbs, quæ gemmiferas servans pretiosa Coronas, *
Regibus imponit Cracia magna suis.
Quod simul hæc eadem, Capitis pia dona reservet, (dedit.
Munera, quæ ex nostro Corpore Roma

* Cracovia Coronatrix Regum.

*Tum Lublinenses Rex quam sacravit ad aras, (am,
Victor & ex bello quam tulit ipse To-
Regia sint quamvis dona hæc, sint aurea quamvis, (facit.
Hæc mage noster amor sed pretiosa
Hinc pretium rebus quantum propendeat: in Te, (Minor.
Magnus Amor quàm sit, disce Polone

COLLEGIUM NOBILIUM

Si Tua pensamus spargis quæ munera DIVE,
A Te quæve Minor dona Polonus habet.
Tam pretiosa, velut Caput est in mænibus urbis, (mihi.
Nulla Corona mihi, Regna nec ulla
Etsi una tantùm Caput hoc retinetur in urbe, (habet.
Majus, quàm pretium est urbis & orbis,
Pallia quæ donat Tibi Rex, sint aurea quamvis, B2 Ipsa

* Lublinum Tribunalitia Majestate commendatum: Urbes Minoris Poloniæ celeberrimæ

Ipsa Patrocinio nosco minora Tuo.
Id si fortè tamen fiet Tibi ditius auro,
Adjicimus plantis, Cor, anathema, Tuis.

Sanctus STANISLAUS KOSTKA ad Collegii Nobiles, ut sint Eidem virtute similes.

Me Vobis Juvenes, mea Gens, mea cura Puelli;
Nobilitas, studium, Patria, junxit Amor.
Quàm multîs titulîs liceat me dicere vestrum,
Ex verbis potuit discere quisq; meis.
Quàm multîs simus similes: studioq; locoq;
Sum Vobis similis, Vos pariterq; mihi.
Si tamen hæc desunt Virtusq; Pudorq; videte:
Estis num similes, dissimilesnè magis?
In multis similes fecit natura genusq;,
Ut faciat Virtus, Vos facitote, pares.

PANE-

PANEGYRICUS SACER S. STANISLAO KOSTKA

Societatis JESU
NOVITIO
Regni Poloniæ
PATRONO

ETſi in eorum geſtis dilaudandis, quos jam ex oculis noſtris ſublatos inter Patriæ Cæleſtis incolas virtus eximia collocavit, nihil omnino tale proferri poſſit, quod dicentibus perinde atq; audientibus exiguum eſſe videatur; Sive enim comparationem ſpectemus præmii ad meritum, ſive potiùs illam ipſam DEI Optimi maximi, quâ Cælites perfruuntur poſſeſſio-

nem intueamur; non in oculis modò mortalium, verùm reapse maximè sublimia ac infinita esse oppidò manifestum: vereor nihilominus Auditores Sapientissimi, ne dum Angelici Adolescentis STANISLAI KOSTKA, merita, virtutes, beneficia quoque Orbi, potissimùm verò Patriæ suæ concessa perpendimus, ad illorum obnoxiam periculo sententiam, veluti ad quosdam scopulos allidat dictio; quibus non aliter judicium de rebus instituere consentaneum, nisi eo in statu constituta affirmare præsumant, in quo hæc ipsa conspectui suo animadvertunt obversari. Tales nimirum, non aliunde, quàm ab aspectu solo, non raró ut cæteri sensus exerrante, probatæ virtutis conjecturam capiunt. Verùm nisi ad sublimiora extendatur animus, nisi quàm longissimè diversus terricolarum juxta ac Cælitum status consideretur penitiùs, justum procul dubio evenire dicturo metum, ne quid adeo injustè derogetur STANISLAI laudibus, ut idem ipse

per-

perſtringi veriùs cenſeatur, quàm ut par eſſet dilaudari. Nam ſi Adoleſcentem integerrimum (quod certè non infrequenter uſu venire didicimus, quoties deprædicanda occurrunt aliorum rectefacta in iisdem commendandis infirmiore argumento occupari hominum ingenia) ſolos intra naturæ cancellos conſtitutum obſervabunt nonnulli; ah perquam mihi verendum eſt! ne quispiam, non tam laudatiſſimæ vitæ percelebris Orator, quàm ſanctimoniæ ipſius quodammodo detractor vel (ut mitius loquar) vix parte aliqua enarrator deprehendatur frigidiſſimus, atq; invita (ut ajunt) Minerva adornaturus dictionem. Solam ſiquidem extimam rerum faciem contemplatus, nullo ſanè negotio in hæc fortaſſis prorumperet: Quodnam vitam inter ac mortem STANISLAI ſpatium interceſſerit, non eſt vobis adeo explicandum Auditores, cui enim alteri id ipſum innotuiſſe magis exiſtimem, quàm illis, inter quos ab ipſis cunabulis majoremnè Generis claritudinem accerit,

perit,

perit, an Patriæ commendationem exhibuerit, haud ullum dubitationi locum permittendum esse sinit, cùm in alios, tum in suos præcipuè profusa tot beneficiorum ac miraculorum multiplicitas omni testimonio locupletior. Nihil itaque manifestius, quàm perbreve vitæ curriculum STANISLAI ultra juventæ florem non amplius processisse. Quare laudationi quoque, si pro mensura ætatis loquendum est, non ille amplissimus dicendi campus se se aperit, qualis fuisset, sit de viris ætate provectis, quos seu inacessi sylvarum recessus ad efferatam (ut ita dixero) afflictandi corporis rationem, intercapedine temporum quàm longissima, mediis in rupibus clausos indurârunt; seu illos, quos Religionum septa ad rigidissimam vivendi normam exactos, militiæ sanctioris Veteranos diutiùs exercuerunt, institueretur Oratio. At, ubi Adolescentem vix primùm Tyrones inter cooptatum Religioni dato Nomine, perarduum virtutis iter subingressum dilaudare percupimus, quod

exi-

exiguum ſane dicendi genus ſe nobis offerat non nemo opinor affirmabit. Secus omnino res attentata edocet. Non modò hic nullæ dicendi nos premunt anguſtiæ, verùm vix uſpiam argumentum potuiſſe fieri copioſius, quàm hodie offerri agnoſcimus: eâ videlicet, hacq́; non minùs cumulata, quàm evidentiſſima ratione, quod: Nec ætas ſeculis nec Orbi Virtus, nec Cælo ſit impar Animus Adoleſcentis STANISLAI.

Ut omnia ſumma de parva licet Adoleſcentis innocui ætate ultro libenterq́; proferam, ille me perurget plurimùm, quo quisque Veſtrum Benevolentissimi Auditores in Ejusdem cultum maximo plane fertur animo.

PARS I.

Par ſeculis ætas Adoleſcentis STANISLAI

Credo ego vos mirari Auditores quonam pacto id ipſum poterat evenire,

re, ut breve illud ætatis compendium, ne dicam ætatula Adolescentis STANISLAI jam seculis consummatam, jam Orbe universo late patentem, jam Cæli augustalia exæquantem, veluti in certamen provocare constitueret magnitudinem. Inde tamen è proximo depromendæ admirationis causam substitui advertet unusquisque, cùm in id oculos converterit: plus nempe momento præstare posse gratiam, quàm vel productissimo temporis intervallo aliquando naturam præstitisse: tantò verò efficaciùs ab hac operam suam unicuique exhiberi, quantò minus spatii atq; moræ intervenerit, naturæ inter ac gratiæ beneficium. Nonne idem satis liquidò nobis proponunt sacri literarum codices? nonne vel ipsamet vitæ exordia tantundem valuêre, ut non modò velut nascendi ex ungue Leonis gratiâ, certissima futuræ ætatis ab ipsa infantia assumerentur immutabilis vaticinii signa? At magnitudinis illius, qua JOANNES cæteris omnibus surrecturus erat major, mensu-

ſuram pueritia quoque præſeferret, quin potiùs contineret. Nemo unquam audenter poterat compellare parvum, quem gratiæ ornamentô, præter Divinæ Parentis excellentiam, vix cuipiam mortalium, probè intellexerat comparandum. Quodſi talia de JOANNE adhuc faſciis conſtricto, atq; cunabulis intercluſo enarrari, tam facillimum, quàm verum fuerat, tanquam ſummorum Virorum non implêſſet tantùm, ſed ſuperâſſet pro menſura gratiæ omnem gloriam: Cur eadem non auſim dicere de noſtro vixdum Religioſæ vitæ rudimenta capeſſente STANISLAO?

Tot aliorum ne dicam omnium præterlapſa ſeu retroacta ſecula vel in ipſo vitæ ſuæ limine JOANNES prætergredi videbatur, illudq; ſanctitatis culmen conſcendere, ad cujus aſpectum cæteri omnes, admiratione magis, quàm imitatione raperentur. Non abſimili ſupêrum beneficio exornatum fuiſſe STANISLAUM, cùm adoleſcentiam, adeo ad virtutis profectum extendiſſet, ut

cum

cum JOANNE præcurreret, multosq; longo post se relictos intervallo, moraretur. Quæ enim dicite amabo, seculis emensa spatia, quibus, non in tenera ætate responndisset STANISLAUS? Si aurea memorare lubet (ut tandem mittamus cætera, quæ à Phæbo Vatum Principe plus commentitii fulgoris, quàm à sole veri luminis, atq; elegantissimi pretii, quod auro adesse edocemur, accepêre) quid unquam felicius, quid auro puro putoq; locupletius esse potuit, quàm, cùm Jovem ipsum in manus, multò magis in animum Adolescentis integerrimi è sinu Materno delapsum, & basia inter colludentem, admirabundis Cælitibus, unus idemq; excepisset lectulus? Ubi verò magis auri fulgor enituisset, quàm, si STANISLAUM inter & Superos, exardescente amoris flamma, probaretur? Tale inquam inter peramicæ quietis pacisq; studia discimus promanare pretium, ut illo inaurari licet deposcant secula, non tamen veluti insveta aut probrosa vocabula respuunt, ut etiam ferrea compellari dedignen-

dignentur. Inter hæc enim, ut frangendis hoſtium cuneis, ita experiundæ bellicæ virtuti plerumque campus ſe offert ampliſſimus. In hoc certè, ut non infrequenter creverunt laureæ in decus STANISLAI, ita bellum ipſum vel exinde conſtat longè fuiſſe difficillimum quod inter cognatum ſanguinem pugna illa exardeſceret. Nam fraternus Amor in furorem verſus, quamdiu hoſtilem perſonam ſuſtinuit, ſuſtinuit verò tempore non admodum exiguo: jam domi, jam foris, modò præſentem, modò abſentem etiam STANISLAUM, ubique autem Fratris virtutem, utpote licentiori vitæ nunquam non contrariam, pertinaciſſimè perſecutus. Exinde tantò plus gloriæ percipiebat STANISLAUS, quantò plus iniquo furori indulgebat PAULUS. Prælium iſtud, veriùs conflictum, numero quidem dixiſſem perexiguum, quia duos inter conſtitutum; niſi hìc aliter mihi ſentiendum eſſe ſvadeat vel ipſe furor perſequentis PAULI, qui tunc mundi ipſius partes ſolus ſuſcepiſſe videbatur, ut

à Di-

à Divinis Angelicum adolescentem avel-
leret: nisi unitis viribus etiam Paternus
amor hoc tam generosissimo ausu non
parvam labem Illustrissimæ Domui inuri
existimans, in vindictam animos, cala-
mum in iras acuisset, quo tenerrimum A-
dolescentis pectus perstringeret, cogeretq;
sub signis mundi militare, quem jam, obfir-
mato in propositis animo, ad sua arma
vocârunt Superi. Cæterùm Fraternas in-
ter cognatasq; acies hunc excitatum in-
ardescentis belli pulverem, ne utique
sterilem affirmet quispiam: Hinc etenim
Adolescenti integerrimo adeo illustres
victoriæ pullulârunt, ut non aliter ex hac
nobilissima pugna, quàm rude donatus,
atq; Veterani militis instar decederet.
Quàm maximâ triumphi gloriâ Roma-
nis olim Victoribus pares palmas refe-
rens, prius subingredi meruit Capitoli-
um, antequam Religiosæ vitæ subintrâs-
set Tyrocinium. Eccui verò, hic tam
præstantissimus, sive generosissimæ pu-
gnæ, sive optatissimi triumphi modus
præcipuè imputandus? Bene est, si inna-
tam

tam ſtrenuiſſimæ KOSTKARUM Genti indolem inſediſſe STANISLAI animo affirmatis: verùm ætas illa, nondum idonea pugnæ, quonam modo matura victoriæ? Quod Marti igitur, atq; non omnino firmæ Adoleſcentis potentiæ vix eſſet adſtruendum, Arti, necnon, bellicæ induſtriæ imputari debeat, firmiter aſſeveratis: En, vel hoc ipſo novæ pugnæ aciem inſtruitis: ubi tot probatiſſimis Authoribus in hoc Herculis bivio de palma certare fuit non inglorium: cùm illorum aliqui de naturæ & artis præſtantia, diſceptatione inſtituta, modò artis modò naturæ partes tuerentur: licet verò hìc peritiſſimus *Inſtitutionum Oratoriarum* Quintilianus maturè diſcutiendo, num plus Natura, an Ars conferat eloquétiæ, utriusq; præſidiis conſummatum Oratorem percupit excellere: plus tamen aliquando in hoc doctrinam, quàm naturam momenti habere: atque in ſolo fæcundo plus cultorem quàm ipſam per ſe bonitatem ſoli, efficere affirmat ſupra dictus Auctor. Vos pariter ad aucupandam

dam triumphi pompam, qua parte se contulerit victoria, relinquo avidos triumphandi. Jam quò cæteris omnibus certamen Adolescentis STANISLAI gloriosius esse considero, eò majore feror animo, illi me subinferre triumpho, quem magis ut effecisset admirabilem, non tam naturæ viribus, vel solius artis adminiculis, sed Gratiæ Divinæ auxiliis comparatum fuisse, procul dubio manifestum. Ita vel seculis comparatas STANISLAUS vicit victorias. Adhuc materno inclusus utero Pusio, jam tanta Gratiæ sensit auxilia, Altissimi Præcursor ille maximus, ut, priusquam nomen JOANNIS occuparet, præverterit tẽporũ distantias, quibus momentum illud præferretur. Nondũ uteri Materni perrupit repagula, jam præclara radiis, atq; JESU Nomine insignita, sub signa Ducis supremi vocari se intellexit STANISLAUS: ut tantò majoribus gratiæ ipsius fultus suppetiis in orbem haud minus, quàm in certamen prodire, quò celebres seculisq; pares patrarentur victoriæ, nemo jam anceps aliquando hæsitaret.

PARS

PARS II.
Par Orbi Virtus Adoleſcentis STANISLAI.

UBi verò intra ipſius adoleſcentiæ curſum ita ætatis ſuæ terminos extendit SLANISLAUS, ut ſeculis parem effeciſſet; quidni in tanta annorum temporumq́; prolixitate, virtus etiam omnes exola anguſtias, non protinus in immenſum ſe proferret? Num tantum licuiſſet STANISLAI Adoleſcentiæ, ut admirabili metamorphoſi, veluti ſeculis complêſſet ætatem Neſtoream, quem Juvenem perſecutus PAULUS ſubitò conſpicatus ſenem, nullô reverentiæ ſignô præveniret, ſed quò ſibi promptiùs inveſtigandi retinendiq́; Adoleſcentis daretur copia, nullô planè temporis ſpatiô interjectô, admotis equo calcaribûs curſum accelerabat: iſtud præterea virtuti non liceret, ut qua latè patet orbis vaſtitas ſe protenderet?

Si in tot aliis percupidus discendi ardor hoc demum efficere potuit, ut literarum studio incensos, è patriis laribus evocatos, varia per Regna, Gentesq; huc atq; illuc circumduceret: quod ipsum, summus ille Tullianæ eloquentiæ apex, sermonis Latini svavitas, Doctorumq; Ecclesiæ maxima gloria HIERONYMUS suis in literis non prætermisit memorare: quantus scilicet plurimos studendi ardor excitaret, ut extra patrium solem evocati, in regna regionesq; remotissimas excolendi ingenii, atq; literarii profectus gratiâ, se proferrent: terra mariq; sparsis, Orbem quodammodo universum obambulare placuit, quò sibi immortalem eruditionis famam apud omnes conciliâssent.

Longè plus virtuti suæ indulsisse STANISLAUM, quis verò nesciat? præter CRACI mænia, quibus se primùm, ubi literarum notitiam in fonte delibaret, parva ætas contulit STANISLAI, à Coronatrice Regum urbe, atq; doctrinarum

Co-

Corona, ad ſedem dein Cæſarum Viennam proceſſerat. Et quantùm ad ſciendi rationem attinet, ſatis certè fuiſſet Regno pariter, atq; toto Imperio, clarum ſibi ex doctrina nomen comparâſſe: virtuti tamen maximè injurioſum ſe futurum fore exiſtimabat STANISLAUS, niſi hanc, non modò ſcientiæ terminis majorem, verùm Orbe ipſo vaſtiorem effeciſſet. Quare quò facilius vocanti DEO morem gereret, ad perfectiſſimam Sanctorum ſcientiam aſpirans, Divinioriſq; ſtudii amore inflammatus maximam veluti Muſarum ſedem, omnis ſanctitatis juxta, atq; eruditionis compendium, ROMAM, Orbis caput adire conſtituit. O quanta hic viarum obſtacula, quæ vel Gigantis paſſum remorari potuiſſent, innocenti plantæ occurrebant ſuperanda! Quantæ purpuris innutrito ſanguini imminebant mutabilis auræ vices, âeriſq; injuriæ tolerandæ! Quæ demum ad Romanos colles provolanti, quibus ab inſequente Fratris impetu in-

volvendum se atq; revocandum (nisi aliter direxissent SUPERI) præsentiebat, restabant insidiæ evitandæ! Ibat tamen ad omnia intrepida virtus STANISLAI, quò se vocationis Divinæ amor propelleret, hoc suppeditante sibi alas, nihilq; proficiente insequentis PAULI equorum cursu, peregrini indutus habitum, mirabili pede egressus ripas DANUBII, tot alacer superabat juga, tranabat fluvios, pererrabat nemora, emensus campos, prætergressus Urbes, donec Divini Pneumatis actus impetu, ubi vel Apostolicæ virtutis Principibus quiescere placuit, in Occidentem usque penetraret.

Quid ad hæc tandem tunc furore, quin ipsis Furiis exardescens PAULE? Tot inter paterna palatia atq; amplissimas illas VIENNÆ ædes, vel angulum, quo se studendi aut orandi gratiâ, imperturbatus reciperet STANISLAUS, denegâsti? En vide, in quantum se Orbis theatrũ proferat Virtus Adolescentis quàm maxima; & paulò post, longè lateq; protensam

visu-

visurus es. Ubi jam nunc integerrimæ vitæ exemplis incensum se videt septemtrio, Sanctioribus STANISLAI flammis Meridies & Occidens ipse exardescit, brevi Tutelaris sui beneficiorum magnitudinem miraculis illustratus Oriens, nonne proximè adorabit? jam adorat. Eò etenim se protulit virtus vastissima STANISLAI, quô semet sphæræ spatio uterque (si plures fas est dicere) concludit Orbis.

PARS III.

Par Cælo animus Adolescentis STANISLAI.

QUodsi igitur tanta vel in Adolescente Sanctimoniæ excellentia? quid illud virtutis Templum, Ara probitatis, Amoris Divini Regia, illud inquā ingentis animæ domicilium, pectus integerrimum STANISLAI? Si eò se extendit virtus ipsa; quonam se non extendisset animus

ille, omnium virtutum capacissimus? Templis licet aut sacrariis, vel quibusvis demum precationi consentaneis locorum limitibus clauderetur, extra se raptus, cælos ipsos penetrabat. An enim sanctior flamma illa, viscera depascens STANISLAI, metam in aliam collimaret præter Cælum? Quid si frigidâ madescentis telæ compressam putas? minimè verò. Sed veluti hoc ipso incitatior facta, longè violentius prorumpit, * *quové magis tegitur* seu tingitur *tanto magis æstuat ignis*: vel inter culinæ nidores ex Divi LAURENTII aspectu, solitum præter, cumulatior redditus, undarum profluviis non extinguentibûs modò, verùm provocantibûs Charitatem.

Plerumque etiam inter orandum obortæ lacrymæ eundem omnino cum Divino amore, veluti conspiratione facta, effectum affectumq; spirabant, neque tunc, seu lacrymis in flammas, seu flammis in lacrymas quidquam adversi machi-

chi-

---

* Ovid. Metamor. lib. 4.

chinari concessum: quinimo * *unda dabat flammas, & dabat ignis aquas.* Quid verò hic admiremur, si angustiarum impatiens, quales vel Orbe universo sibi objici sentiebat, ad centrum illud remotissimum, ad infinitæ dulcedinis Patriam, immensi Numinis aulam igneus ille STANISLAI animus provolaret?

Sed qua deinde se majestate ferebat, tantùm humanæ licetne facundiæ ut eloquar? Huc vultum & animos AUDITORES, en immensus quidam gloriæ apparatus est præ oculis. Proximus tunc imminebat dies in Cælos assumptæ Virgini Sacer, cùm integerrimus Adolescens ob infirmitatem corporis lecto affixus tenebatur. Quanto verò hic ingravescentis morbi violentiâ exteriùs premebatur, tantò animus ille nullius omnino, quæ se aggravaret, noxæ conscius, facile in cælos poterat eluctari. Totus desideriis æstuabat STANISLAUS, ut languor corporis, non aliunde jam provenire

nire

* Ovid. Trist. lib. 1. Ele. 7.

nire putaretur, niſi ab amoris vehementia. Tunc quidem vel corpus ipſum, aptiſſimam in materiam, qua amoris flamma aleretur, meritò abiîſſe credi poterat, cùm eo ardore incaluiſſet, ut quoties oranti STANISLAO quempiam è Sociorum numero admoveri contigiſſet, illico ſe, inſolito amoris Divini æſtu incenſum perſentiſceret. Nondum tamen, licetſi Corpus integerrimum hæc ſanctior flamma decoqueret, gravitate omni abſolvi conceſſum, quin terræ pondere, unde illud acceperat, quodammodo blandiretur. Quare ſolus nonniſi animus, quantùm per vires creatas licuit (modò votis ſuis annuerent faventes Superi) Cælis ſe quàmprimum ſubinferre contendebat. Nihil ampliùs ardentiùsq; à Cælo deprecari, quàm ut ſibi ad Societatem Beatorum, præter moram omnem, aditus pateſieret. Adeo pulſanti firmiſſimè, tum Cæli limina, tum Superûm aures continuò patuêre. Nec decuit ſecus fieri, niſi ut ſumme pertæ-

ſus

sus Cælestium amor ille, absque magni-
ficentissimo apparatu, è terris non disce-
deret. Num igitur ut Eliæ quondam,
amore Divino exæstuanti STANI-
SLAO, quo se proveheret, currum sub-
ornârunt sidera? num quali essedo ad
Chotimum nuper JESU ac DEIPARÆ
associatus, atq; Polonorum castris im-
minens triumphos advexerat, per vitæ
exitum, non absimili decursu ad SUPE-
ROS properabat? Ecce subitò Angelici
Spiritus adfuêre, ac ultimùm è vivis ab-
eunti cæleste melos accinentes, ad iter
optatissimum, eximiè accinctum STA-
NISLAUM provocabant. O! desidera-
bilem desinentis vitæ modum! O disces-
sum animæ felicissimum! O mortem A-
dolescentis Angelici, omni vitâ potio-
rem! & vel Angelis ipsis, si mortis ca-
paces essent, proculdubio invidendam.

Quantô verò ubi jam terris excelsior
factus *integer vitæ scelerisq; purus ani-
mus, in Angelorum consortio, & Cæle-
stis

---

* Hora. lib. 1. Od. xxii.

stis Symphoniæ suavitate, in aulæ Divinæ conspectum approperabat, quanto inquam, seu applausu, seu apparatu exceptus sit, quis obsecro mortalium abunde id ipsum valeat explicare? Veluti ex umbra, altissimi ædificii molem, aut imis ex ruderibus qua scilicet magnitudine assurgebant Pergama: seu seculis longoq; nisu in summum deductæ Urbes, arcesq; quam altitudinem præferebant, ex casu colligimus, ita vel ex ipsis exuviis integerrimo animo exhibitam cælestium applausuum atq; gaudiorum magnitudinem liceat subinferre. Si infirma, longè quoque inferior, quàm animæ excellit nobilitas, humanæ conditionis pars exigua corpus ipsum, illudq; vigore illo purissimæ flammæ destitutum atq; exanime, eam tamen vim retinuit, ut Orbis Caput, Urbiumq; omnium Dominam, in admirabilem sui cultum pertraxerit; vix etenim spiritus ille Angelicus, ædem purissimi corporis destituerat, ecce tibi, quasi universis datô signô,


omnes

omnes illicò concurrere, Senatus populusq́; Romanus univerſus, quin Roma ipſa prope convulſa ſedibus ſuis, ad viſendas atq́; honorandas innocui Adoleſcentis exuvias deproperare, eoq́; virtutis pertracta odore, quem * *Lilium iſtud Societatis JESU* innocentia ſuâ exhalabat, vix quidem avelli paſſa. Admiratus tam frequentiſſimum populi concurſum è Purpuratorum Patrum Corona *Toletus* noſter, haud abſtinere potuit, quin exclamâſſet. *Unus Adoleſcens Polonus moritur, & quota eſt, concurrit Roma.* O maximam profecto STANISLAI virtutem! quæ in Romanis amphiteatris nunquam ante viſam incredibilem populi frequentiam ad ſeipſam penitus pertraxit, convertitq́;. Quantam inſuper anima illa tot virtutibus ornatiſſima, tunc, cum jam gemmeis Cælorum januis immineret, excire potuit Cæleſti-

* Abrahamus Bzovius celebris Annalium Eccleſiæ poſt Baronium Continuator Ordinis S. Dominici.

leſtium incolarum multitudinem? vel dies pariter aſſumptæ VIRGINIS atq; STANISLAI gloriæ communis, planè edocere videtur. Talis nempe & JESU SOCIUM, & DEIPARÆ (quam etiam MATREM ſuam auditus compellâſſe STANISLAUS) FILIUM, triumphus decuit.

Cum adeo vel immenſam Beatitatis ædem, majeſtate gloriæ ſuæ complevit STANISLAUS: de magnitudine tanta humanæ mentis exſuperante dicendi copiam, in vaſtis exiguos, in grandibus tenues, in maximis minimos, ultra vix expedit eſſe diſertos.



AU-

AUTHOR OPERIS
Ad S. STANISLAUM
KOSTKA

Nunc Regni qua parte Tuos memoramus Honores
KOSTULE, quonam ſit pars referenda modo?
Nomina ſi ſpecto, Minor eſt hæc; attamen eſſe
A Geſtis debet Maxima Dive Tuis.
Te aurata video Lublini veſte decorum,
Pacis ſigna hæc ſunt, aurea, Dive, Toga.
Urbs Caput una tenet, Divi, Regumq; Coronas;
Nam ſtant conſiliô libera Regna Tuô.
Hæc inter, tenuis laudandi munus opellæ
Auſu quo referam, quové dicabo Tibi?

Vilia

Vilia ſi fuerint, parvi ſi dona valoris,
Contactu fient aurea dona tuo.
Non ideo quòd Dive Midam Te dicere vellem,
Commento hic; rebus, nomine Tuq; vales.
Munera quæ reddo, sint vilia, ferrea quamvis,
Mutabis, nomen cùm Omnipotentis habes.
Diceris Omnipotens, quonam ſenſuq; modoq;
Immenſus dici KOSTULE nonne potes?
Me, Superûm nutus tandem quo vertet; ubiq;
Dive Patrociniô protege KOSTKA Tuò.